

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Decretum

N. 48563/13 CA

Praecepti

(Rev.dus Ordinarius [X] – Congregatio pro Clericis)

Decreto diei 8 aprilis 2013 Rev.dus [Y] ab accusationibus absolutus est, cessantibus pariter praecautioibus impositis (cf. can. 1722). Die dein 28 iunii 2013 Exc.mus Administrator Apostolicus [Z] eidem Rev.do Viro praeceptum, clausula poenali addita, imposuit, domicilium scilicet retinendi apud Abbatiam [A], Sanctam Missam celebrandi ac Sacramenta Sacramentaliaque administrandi tantum in ditione eiusdem Abbatiae, Rev.mo quidem Abbate disponente, atque domum paroecialem deserendi.

Die 22 iulii 2013 Rev.mus Rev.di [Y] Patronus, revocatione praecepti frustra petita, recursum ad Congregationem pro Clericis proposuit, quae, decreto die 9 septembris 2013 lato, domicilium coactum atque prohibitiones in sacris peragendis sustulit, confirmata tamen obligatione domum paroecialem deserendi; eodem decreto praeterea Congregatio de honesta sustentatione Rev.do [Y] solvenda statuit.

Quam adversus decisionem Rev.mus Ordinarius [X] die 11 novembris 2013 ad H.S.T. recurrit.

Expetitis atque receptis actis a Congregatione pro Clericis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod obiectum recursus tantum duo praecepta com-

plectitur a decreto impugnato sublata, domicilium nempe retinendi apud Abbatiam [A] atque Sanctam Missam celebrandi ac Sacramenta Sacramentaliaque administrandi tantum in ditione eiusdem Abbatiae, Rev.mo quidem Abbate disponente, praetermissis proinde animadversionibus quibuscumque in partem motivam decreti impugnati admotis;

Perpenso quod praescripta atque rationes a Rev.mo Ordinario [X] adducta imparia sunt ad impugnatam decisionem Congregationis pro Clericis illegitimam probandam; nam:

- Ad examen peritale usque urgendum non omnis qualiscumque dispositio presbyteris dioecesanis praecipi potest, sed tantummodo quae ad normam iuris sit et rei urgendae proportionata (cf. sententia definitiva coram Pompedda diei 6 maii 2000, n. 12, in una Richmondien., prot. n. 29240/98 CA);

- Presbyteri utique munus sanctificandi sub Episcopi auctoritate exercent (cf. can. 835, § 2), sed eius potestas moderandi exercitium muneris sanctificandi haudquaquam aequari potest potestati illud exercitium coarctandi vel tollendi, «nisi ad normam iuris, speciatim quod attinet ad facultates ipsa lege universali concessas» (decretum Congressus diei 13 iunii 2008, prot. n. 38962/06 CA), nempe publicam celebrationem eucharistici sacrificii;

- invocatum praescriptum can. 223 ad exercitium iuris via administrativa tollendum pluries H.S.T. improbavit: «Ad rem haec sedulo notanda sunt: a) can. 223 concludit titulum “De omnium christifidelium obligationibus et iuribus”; b) canones huius tituli (208-223) proveniunt ex schemate Legis Ecclesiae Fundamentalis; c) agitur in illo canone de moderamine illarum obligationum et iurium fundamentalium ad bonum commune tuendum; d) can. 223 tantum principium omnino generale proponit, cuius magis concreta determinatio proprie fit per actus potestatis legislativae, in primis et praeprimis in ceteris normis ipsius CIC; e) quibus Episcopi non possunt derogare, secus actum esset de principio legalitatis et ianua pateret arbitrarie-tati» (sententia definitiva coram Grochowski, diei 28 aprilis 2007, n. 14, prot. n. 37937/05 CA, publici iuris facta in *Ius Ecclesiae*, 19 [2007], 611-621 et in *Ministerium Iustitiae*, curante W.L. DANIEL, Montréal, 2011, 436-437; cf. inde PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM

TEXTIBUS, *Nota explicativa. Chiarimenti circa l'applicazione del can. 223, § 2 CIC*, diei 8 decembris 2010, in *Communicationes*, 42 [2010], 280-281);

Cum proinde quolibet fundamento certe et indubie destitutus appareat recursus adversus decisionem a Congregatione pro Clericis latam;

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede huius Supremi Tribunalis, die 19 februarii 2014.

+ Franciscus Daneels, o.praem., *Secretarius*
Iosephus Ferdinandus Mejia Yañez, m.g., *Moderator Cancellariae*